



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate  
Libri Septem**

**Scardeone, Bernardino**

**Venetiis, 1542**

Quae faciant ad reprimendam libidinem, & in primis de mulierum  
consortio penitus fugiendo cap. i

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30433**

DE RATIONE COERCEN. LIBID.

minusq; castra uidisset. Libere quidem Hannibal de tanto rhetore: haud iniuria tamen. Nam quid arrogans, aut loquacius, fieri potuit, q; uelle edocere expertū probè, quæ nescias: Hoc mihi in hac re obiici merito posse non timeo: quoniam ea tradimus, que nobis ipsis maxime profuerūt: quæ obseruauimus, & quæ secuti nosmet sumus in hoc incōtinēti certamine. V erū sciri, uel in primis oportet: nullis neq; uigiliis, neq; laborib; neq; caudinibus, aut remedis q;tūlibet opportunis, quenq; mortalium perpetuō puram & immaculatam corporis, & animę constitutam seruare posse, nisi qui diuinæ gratiæ auxilio subuenetur: & nisi asidua illa impugnatō carnis, quæ nos agitat, præpotenti manu domini reprimatur. Quam obrem admoneo ut nequaquam uideamus de nostra uirginitate confidere, nihilve arrogare nobis de studio, aut dilectionia, si uincimus, sed fateri, & credere id totum à gratia, & à misericordia diuina procedere. Id autem facientes evitabimus superbiam, & cum omni humilitate excubando in orationibus, & pro uirili nostra concupiscentiis resistendo, atq; cauendo, prout infra docebimus, illibatam illam, quam optamus, castimoniā consequemur. Sed hæc pauca præfati iam præcepta continentia, quæ ex ipsis rei experientia deprompsimus quibusue satis fœliciter per Dei gratiam habentus usi sumus, dicere int̄cipiamus.

Quæ faciant ad reprimendam libidinem, & in primis de mulierum consortio penitus fugiendo. Cap. I.

**V**T ualeamus ergo tam illibatam seruare, quam amissam recuperare castimoniam: quæ est basis & fundamentum uitæ spiritualis, adhibenda integrum nobis sunt multæ cautiones, quibus & tutò stare, & intrepide reluctari contra libidinis impetum, furorem,

possimus: & si forte labi contingat (quod Deus auertat) ab ipso etiam casu q̄ primum resurgere. Sed quoniam homines uariis modis in uitium libidinis incident, uaria quoq; & diuersa remedia sunt tradenda: ut si unum forster non proderit, profit aliud. Multos enim illaqueat multe liebris aspectus, multos crapula, quosdam ocium, et cogitationes sordidae: nonnullos nimia occasio, & opportunitas mali: alios exempla sociorum, plerosq; turpi à colloquia, siue lectiones lasciuæ, aut spectacula, & alia deniq; multa, quæ castis mentibus infensa sunt, & insidiantur assidue proposito castitatis: cui modo à nobis diuina fretis gratia succurrenti prouincia suscepta est. Erit itaq; primum, præcipuumq; præceptum in uniuersitate ratione tuendæ castitatis, quam tradimus, ut mulierū contubernia omnino fugiamus, quæ quanto blandius usui uirorum naturæq; arrident, tanto perniciosius eorum infidiantur pudicitiae. Est enim foemina natura mentibus castis infensa, ut non possit illecebrosa suo consortio cū maribus sine grauissimo pudicitie periculo diuturne uerari. Adeo namq; blandiciosa res est foeminæ consuetudo, ut mulierem etiam dolentem conspicere absq; ueneris illecebra non possis, neque ferè allicit, ac demulcent minus foemina uirorum mentes lachrymis, q̄ blanditiis: immo etiam magis. Vnde Teretianus Parmeno ad heustum suum amicæ absenti iratum, atque ei uerbis crudelibus acerrime comminatorem dicit. Hæc uerba inquit, una mehercle falsa lachrymula, quam oculos tergendo misere uix ui expresserit, restinguet: & te ultro accusabis, & dabis ei ultro supplicium. Quam ob rem haud iniuria maris, foeminæq; amicitia adeo semper apud Latinos suspicionis plena fuit: ut amicitiae nomen, quum alioquin apud omnes gentes semper habitum sit sanctissimum, atamen si referatur ad foeminam, impudica, ac turpis semper sit appellatio: ut idem sonet apud hos amica, quod scortum. Ex quo docemur foeminā nullo profusus

DE RATIONE COERCEN. LIBID.

pacto quatenus licite fieri possit, admittēdam nobis esse  
in aliquod huius uitæ cōmerciū. Fieri quidem potest  
ut assueti eiusmodi consuetudine aliquandiu pudicitiam  
seruent, arduum tamē est, ac penè impossibile, ut ex hac  
frequenti inspectione mens quantūvis sancta illicitis quā  
doq; non æstuet desyderiis, & caro ipsa modica saltem  
titillatione non pruriat. Nam & si prius nulla libido, &  
nulla peccandi uoluntas sit in uoto: & nihil nisi honestā  
& sanctum in uerbis sonet: est tamen iti ipso obuio con-  
gressu motus quidam animi, seu sensus, nobis natura cō-  
paratus, ut statim uelis, nolis in corde sexus diuerfitas  
sentiatur. Fœminarum siquidem intuitus, ut balista fer-  
rit, sermo ut ignis cōburit, tactus, ut letalis uiperæ mor-  
sus interficit. Iccitco, Sapiens ille. In medio, inquit, mulie-  
rum noli commorari, quia sicut à uestimento procedit  
tinea: ita & à muliere iniquitas uiri. De carbonibus ait  
Beatus Augustinus, scintillæ disiliunt, de ferro rubigo  
nutritur, morbos Aspides sibilant: mulier fundit con-  
cupiscentiæ pestilentiam. Ita sane, res se habet: foemina  
ut scorpius, non tantum timenda est, quum ferit: sed  
asidue, & ubiq; obseruanda, & tunc magis cum pa-  
pat, & blandiri uidetur. Habet enim aculeum abscon-  
ditum, quantoq; amabilior est, tanto esse nocentior re-  
peritur. Hæc est uenenosum uiscum, & tenax gluten  
libidinis: quo callidissimus ille auceps Diabolus alle-  
etas blandiciis animas dolose, uelut simplices, & in-  
cautas auiculas, aucupatur. Visitatus est is quidem se-  
xus ad decipiendum, nec aliter ferè tiros fideles consu-  
scit Dæmon durius oppugnare, quam perficinam.  
Heu quot animas hoc uisco implicat, & hoc rhethè con-  
uoluit, & hac rhumphea trucidat ille insidiator nequissimus.  
Hospitiolum ergo tuum (iuxta. D. Hierol.  
nymi consilium) si lapis, aut raro, aut nunquam mu-  
lierum pedes terant: quando nihil æque faciat ad per-

turbandum optimi cuiusq; uiri pudicitiam , atque mu-  
sierum frequens , & continuatus accessus . sicut enim  
interdicti potus , aut noxii cibi conspectus amoueri ex-  
pedit ab obtutu corporis ægrotantis , ne conspectu ue-  
titæ rei desyderium acris accendatur : ita referre arbis-  
tror ægrotanti animo , pari modo alterius sexus spes-  
cemi non offerri , ne interpellata scilicet ea forma mens-  
tuat in concupiscentiam oculorum : quando hac illece-  
bra capiantur , & ad perniciem delabantur plœrunque  
ingenia etiam solertissima . Q uo circa sanctissimus ;  
idemque sapientissimus uir Augustinus relegauit se à  
propria domo , & à patria : nec uoluit cum sorore  
habirare , dictans , quæ cum sorore sua essent , soror-  
es suas non esse . Tanti uiri cautio haud parua de-  
bet esse nobis instructio in re tam ancipi , & in tam  
manifesto , & prompto decidendi periculo . Non ab  
re certe factum est , ut eiusmodi conuersatio tantopere  
à uiris sanctis formidata fuerit : quum lapsu præcedens  
tum soleat cadendi , magnam trepidationem subse-  
quentibus inferre . Q uis enim cum extraneis mulie-  
ribus uersari tutò speret , quum legerit in sacris uolu-  
minibus Ammonem ex licentia domesticæ consue-  
tudinis in nefandos sororis suæ Thamar exarfisse con-  
cubitus : sicut & apud gentiles Machareum : cantab-  
turq; à poetis de Iunone : & soror & coniunx Iouis ;  
Obiectus est & P. Clodio sororis incestus : sed et  
alii reperti sunt qui etiam conuicti dignas flagitio suo  
pœnas dederunt . Verum absit , ut suspicari quenam  
quam uelim de Christianis hominibus tale nefas , ac  
id exempli causa retulimus , non quod frequenter ac-  
cidat , sed quod factu possibile sit , & accidere quan-  
doque posit , quamuis natura , & hominis ratio  
istud abhorreat . Prouidus autem suæ salutis ag-  
mator , uitat omne periculum , & casu præmonitus

II ivi

**DE RATIONE COERCEN. LIBID.**

alieno discit cautius ambulare. Cyprianus proinde doctissimus, atq; sanctissimus episcopus, idemq; martyr inclitus in opere quodam suo, elegantissime multis scripturarum testimonis nititur dissuadere clericis consortia fœminarum, affirmans id etiam sibi reuelatum dicitur, ut præciperet, ne clerici cum fœminis commoretur: nam hi tum primum coeperant ex eiusmodi coabitatione male audire, & subite incontinentiae suscipiuntur. Cötubernii huius periculum optime per similitudinem ignis & paleæ a doctissimis uiris demonstrari solitum est: at multo etiam clarius idem intelligi posse arbitror per proprietatem ignis ad naphtham, quod bituminis genus, ex cognatione maxima, quæ ei est cum igne, tam promptum est ad exardescendum, ut in se igne undecunq; uiso etiam ex interuallo suscipiat flammam, sed tum uel maxime, quum flatus etiam accesserit uentor. At hic in eiusmodi consortio certo scias, nunquam de fore suffitorem dæmonem, qui & buccis, & foliibus, infestat assidue: quatenus suscitetur uel in ferreas mentes, atque adamantina corda lasciuī amoris incendiū. De hoc igne poeta quoq; Terentius alludens ait. Accede huc ad ignem iam calesces plus satis: intelligens pro igne amicam cuius amore adolescens ille accensus ardebat. Quid & dominum quoq; nostrum Iesum Christum, non propter carnis infirmitatem, quæ ei in ea parte nulla penitus fuerat, sed potius in exemplum nostrum, à familiaritate mulierum usque adeo semper declinasse compertum est, ut eius discipuli, quum enim iuxta puteum Jacob loquenter forte cum muliere Samaritana reperissent: rei nouitatem, & non esset cum mulieribus loqui solitus, ita admirati sunt, ut obstupuerint ea te magis, quam quum plusquam quinque milia hominum ex quinq; panibus ordeaceis, & duobus piscibus saturari uidissent: ac colligissent ex reliquiis duodecim cophinos fragmentorum,

**Ioan.4.**

**Luce.7.**